Quelle: https://manuscripta.at/?ID=671

Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Capitulum .I.

Quod autem esau et iacob ysaac filii habitacula diviserunt. et esau quidem ydumeam tenuit. iacob autem chananeam. ei demonst .II.

Quod autem ioseph iunior filiorum iacob somnis ei demonstrantibus felicitatem futuram invidiam sustinuerit fratrum. .III.

Quod autem idem ipse in egiptum venundatus a fratribus propter odium quod habebant in eum. factusque insignis et clarus. ibi fratres habuit sibi subiectos.

Incipit liber secundus.

POST mortem vero ysaac filii eius invicem tabernacula diviserunt non ea que acceperant et tenuerunt. Sed esau quidem hebron civitatem fratri dans. habitabat in seyr. et in ydumea regnabat. quam regionem a semetipso ita vocavit. Edom enim nominatus est quam nuncupationem huiusmodi venationis causa sortitus est. Aliquando labore venationis esuriens rediebat. dum adhuc puer esset etate. inveniensque fratrem lentem sibi preparantem ad prandium rubeum colorem nimis habentem. et propterea potius incitatus rogabat ut preberet sibi cibum. Qui vendere sibi primatum propter cibum per esuriem compulit. Ille fame compulsus cessit cum sacramento primatum. Quam obrem propter ruborem cibi a coetaneis infancie tempore edom vocatus est. Hebrei namque edom rubeum dicunt. Et ideo regionem sic appellavit quam greci honestius idumeam denominaverunt. Fuit autem pater filiorum numero .v. quorum hieus quidem et ielon et chore ex una muliere sunt geniti. oolibama nomine. reliquorum vero eliphas quidem ex ada. rachel autem de basemath. et hei nati sunt. Hieus quidem filii non fuerunt. heliphat vero fuerunt legittimi .v. theman. omer. sepphu. gatam. cenez. Amalech enim naturalis non erat de concubina thamna nomine procreatus. Isti siquidem habitaverunt in idumea que gobolitis est dicta et ab amalech amalechitis est appellata. Cum enim aliquando magna fuisset idumea et in tota regione nomini integrum retineret in patribus appellationem ab habitationibus conservabat. Constitit autem iacob ut ad tantam felicitatis magnitudinem perveniret que facile ab aliis adprehendi non possit. Divicius enim cunctis provincialibus eminebat et filiorum virtutibus inmitabilis et conspicuus erat. nec ulli rei penitus indigebat. quando illi ad opus manuum et laborum tolerantiam erant prompti et ad intelligentiam parati. In tantum vero ei habuit divinitas et felicitatis curam. ut etiam ex his que etiam tristia videbantur esse. bonorum ei preberetur sublimitas. feceritque eum et qui ex eo procreati sunt auctores reversionis ex egipto. quo patres nostri huiusmodi causa morati sunt. Ioseph ex rachel filium suscipiens iacob et propter honestatem corporis et animi virtutem. cum utique aliis sapientia precelleret eum amplius aliis filiis diligebat. Huic paterna dilectio odium concitavit fratrum. sive somnia que cum vidisset patri et eis protinus indicavit eo quod provectum ei adnuntiarent. cum sepius zelent homines etiam suorum felicitates. Visiones que apparuerunt ioseph erant huiusmodi. Missus a patre cum fratribus ut colligerent messes et maturas fruges. vidit nimis precipuam visionem et ultra ea que solent per somnia provenire. Quam visionem dum surrexit fratribus suis tamquam sibi somnium discernentibus enarravit dicens vidisse se transacta nocte manipulum suum de tritico constantem in quo eum posuerat loco. illorum vero concurrentes adorare eum. sicut dominum servi. Illi vero intelligentes virtutem ei et rerum magnitudinem predicere visionem. et contra se ei potestatem futuram. ioseph quidem tamquam ignorantes somnia nichil explanaverunt. Consilium vero fecerunt. ne ad perfectum ei que arbitrabantur accederent. et circa eum graves amplius existebant. Impugnans autem divinitas eorum invidiam. secundam ioseph prestitit visionem. multo mirabiliorem quam primam. Vidit enim solem sumentem lunam et ceteras stellas in terram descendere et se adorare. Quam visionem patri nichil de fratribus mali formidans etiam his presentibus indicavit et interpretari sibi quid hoc significare vellet poscebat. Ille vero somnio gaudens. cum expositionem mente conspiceret. et cum sapien-